



19.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
DE
OFFICIIS VASALLI SAXONICI
IN PETENDA INVESTITVRA
OBSERVANDIS

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO SVMMIS
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS

DIE IX. NOVEMBRIS. A. R. S. MDCCCLXXXVI.
H. L. Q. C.

PUBLICE TVEBITVR

IOANNES NICOLAVS SCHWARTZ
VARSOVIENSIS.

Coll. diss. A
289, 14

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

fol. 5. n. A. 289.

208.



ГИДРОМАСТЕРСТВО

ПОДЧЕРКНУТО
ДЛЯ ПРЕДСТАВЛЕНИЯ
ОСНОВЫ



Sachsen.
Landes-
Bibl.

§. I.

De deriuatione, definitione ac diuisione inuestiturae.

Dubia sane atque ambigua est DD. *inuestiturae* verbi deriuatio. Alii enim a vocabulo veteri *wist* i. e. *praesentia ipsam* deducunt: a) alii ab antiquo *Inwysdong* i. e. *Einweisung*, b) alii a *Fasta*, qua interueniente traditio iudicialis peragebatur, c) ipsam dictam esse statuunt. Nec defunt, qui a vestitu, quo vasalli in solenni inuestiendi actu circumdati erant, illam deriuant, d) Mittimus reliquas, mihi illa praeprimis placet opinio, quae illius originem ex latinitate medii aeui tradit, vbi *inuestire* idem erat, ac *in possessionem mittere, tradere* e); scimus enim quanta latini sermonis his temporibus fuit auctoritas in omnibus negotiis et publicis et priuatis, et qualis ratio ususque loquendi. Interim varias admittit vox *inuestiturae* significationes, modo enim possessionem feudi ipsam, vt I. F. 5. et II. F. 3. modo instrumentum super inuestitura conditum, vt II. F. 104.: modo contractum feudalem, et quicquid ipsi inest, vt I. F. 20. et I. F. 25.: modo inuestiendi actum, vt I. F. 24. II. F. 1. et 2. indicat. Hoc loco sumitur pro actu, quo dominium feudi utile a domino directo eiusque auctori-



tate clienti fidelitatem promittenti per traditionem confertur, et ad consummationem vel confirmationem contractus feudalis maxime tendit. *f)* Duo nempe actui inuestiturae insunt essentialia, mutua scilicet fidelitas, qua vasallus domino et dominus directus vasallo deuincitur, et traditio, quae vel rei ipsius exhibitione, vel per symbola illam indicantia absoluatur, ita quidem, ut vel solum utile feudi dominium, vel possessio cum illo coniuncta in vasallum deuolvatur. Diuiditur inuestitura in *propriam* et *abusuam*. *Propria* cum vera rei feudal traditione et missione in possessionem coniuncta est. *g)* *Abusuam* quae facta traditione absoluatur, et vel *longae* vel *brevis manus* vel *symbolica* esse potest, hinc non raro inuestitura *symbolica* pro *abusuam* ponitur. *h)* Alia inuestiturae diuisio est, in *puram* et *euentualem*. *Pura* dicitur si feudum vasallo simpliciter constituitur; *euentualis*, si sub conditione, sive in certum euentum, mortem nempe vasalli eiusque descendantium confertur. Denique in *singularem* et *simultaneam* abit, prout nempe vel vni, vel pluribus feudum conceditur. Haec iterum in tres seiungitur species, de quibus autem differendi non est huius loci. *i)*

- a)* WACHTERVS in Gloss. Germ. voce *inuestitura*.
- b)* SENCKENBERG. in prim. lin. iur. feud. P. II. Cap. 10. §. 228.
- c)* IO. IHRE in gloss. Suio — Goth. Tom. I. p. 34.
- d)* ALVDEWIG de prorogat. inuestit. Cap. II. § 5.
- e)* EYBEN in elect. iur. feud. Cap. V. §. 3. Cangius in Gloss. voce *inuestitura*.
- f)* STRUVIVS in Synt. iur. feud. Cap. VII. §. 1. HORNIVS in iurispr. feud. Cap. XII. §. 1. G. L. BOEHMER. V. Cl. diff. de inuest. simult. euent. Cap. I. §. 3. et 9. seq. I. G. BAUERUS diff. de ind. et nat. inuest. feud. §. 16. seqq.
- g)* Errat itaque HORNIVS l. c. §. 3. qui ad propriam inuestituram traditionem factam refert. I. G. SIEGEL tract. de litt. inuest. §. 7. seqq. BAUERUS V. Cl. cit. diff. §. 34. seqq.
- h)* BAUERUS l. c. §. 28. seqq.
- i)* ILL. BAUERUS diff. de orig. et progr. comm. Sax. manus §. 47. seqq. Alii contra septem species simultaneae inuestiturae tradunt I. G. SCHMIDT de diuers. simult. inuest. speciebus earumque differentiis Lips. 1728.

§. II.

§. II.

De antiquatis inuestituram concedendi modis.

Diversi olim immo sollenniores inuestiturae concedendae impetrandaque erant modi, imprimis maxima symbolorum legitur varietas, a) quae quidem partim honoris, partim vasallorum ad feuda eo lubentius offerenda inuitandorum gratia excogitata esse videntur. Secundum ius commune enim II. F. 2. pr. II. F. 33. pr. actus traditionis per symbolum hastae vel aliud corporeum quid, additis verbis: *Vade in illud feudum peragebatur.* Mox autem mores et alia signa, ut sceptri b) gladii, c) annuli, baculi, d) pilei, e) bireti, f) vexilli, g) poculi, h) etc. inuenierunt, et ipsum actum variis ceremoniis, immo et ludis equestribus sollenniorem reddiderunt. Ita enim in Imperio R. G. feuda olim regalia principibus secularibus per vexillum, ecclesiastica vero per sceptrum conferebantur. Fiebat ille actus in curia sollenni et sub dio, pro more illorum temporum, quibus omnes imperii conuentus in campis celebrabantur. i) Ex quo vero comitia in urbibus haberí coeperunt, in illis etiam, ut et in conciliis sacris, vel ubi imperator aliquamdiu commorabatur feuda vasallis potentibus sollenniter concedebantur. Imprimis Neribergae actus ille inuestiturae frequentabatur, quo ut imperator primos indiceret conuentus, obseruantiae erat. k) Sedebat autem imperator in ipso inaugerationis actu, imperiali habitu indutus, folio eminentiori, circumdatus ab Electoribus, principibusque sollenni vestitu condicoratis, vasallumque potentem atque in genua prolapsum praelatis vexillis, praestitoque vasallagio de feudo inuestiebat. Vexilla autem ista tabulato in vulgus spargebantur. l) Pariter quoque ex parte vasallorum varia splendoris caussa instituebantur, inter quie eminet ritus ille, quo magno stipati comitatu concitatis equis aliquoties thronum imperatoris circumequitabant et ita inuestituram petebant. m) Taceam reliquos infeudandi modos, ut si vasalli in genua procumbentes manus domini manibus iungerent, et ita fidelitatem



litatem iurato promitterent, dominus contra ipsos osculo exciperet. n) Eadem ratione et principes imperii in suis quilibet territoriis follennes nonnunquam curias habebant, immo et comitatus et feuda vexilli conferebant. o)

a) **FLEISCHERI** *Instit. iur. feud.* Cap. IX. §. 5. verbis: et quidem praeter sceptrum et vexilla alia quoque signa et symbola adhibebantur, utpote inuestitura fiebat, per cespitem, per herbam et terras, per ramum et cespitem, per ramum et quaestum, per baculum, per funes et cordas, uti Episcopi et Abbates interdum inuestiebantur, per lignum, per cultellum plicatum, per annulum, per bibliothecam seu Bibliam, per berillum, per calicem, per candelabrum, per apprehensionem canum venaticorum, per capillos capitum, per chirothecam, per claves ecclesiae, per colonnam, per coronam, per cornu, per corrigiam, per capellum Prioris, per cupam auream, per communionem, per denarios, per digitum, per dextrum pollicem, per eleemosinariam, hoc est, marsupium, per fossilem chartae inhaerentem, per folium nucis, per floccillum capillorum, per grana incensi, per iuncum, per lapidem, per lapillum, per librum, per librum missale, per librum collectarium, per lignum, per linteum, per lini portiunculam, per martyrologium, per mappulam, per vnam mitram, per nodum, per notulas, per ostium domus, per pallium, per pergamenum, per pisces, per palam, seu pallam ex serico, per pennam et calamarium, per panum sericum, per regulam, per scyphum, per spatae capulum, per textum Euangeli, per virgam vel virgulam, per zonam, per crucem, per pileum, per linetum etc.

Copiosius de his omnibus egit *Du Fresne* in *Gloss.* voc. *inuestitura* cf. quoque tract. von der Belehnung mit einem Federkiel in Hr. *Aff. ZEPERNICKS Samml. zum Lehnrecht* Part. I. p. 253. I. G. ESTOR de inaugurationibus beneficiariis, eorumque symbolis et ritibus. IMM. WEBER de inuestituris et seruitiis feudi ludicris.

- b) I. S. TREUER de inuestit. per sceptrum. *Buder* in opusc. p. 169.
- c) I. HEUMANN de inuestit. per gladium, in opsc. p. 703. BUDER de inuestit. per gladium comitum et nobilium in *Amoenit. iur. publ. Obs. 17. BOCRISIUS* in disl. *Observ. Iur. feud. Germ. Obs. XIII.*
- d) PUETTMANNUS v. C. L. diatr. de feudo fiduciario p. 50.
- e) A. H. LACKMANN de inuestiendi ratione per pileum. BUDER de inuestit. Ascanii Ducis Sax. per pileum et sertum. EIUSD. Gedan-

Gedanken über die Frage, ob Herz. Bernhard zu Sachsen von K. Friedrich I. mit einer Fahne, oder mit einem Huthe und Kranze belichen worden? in Dessen Lehn-Briefen des Chur- und Fürstlichen Hauses Sachsen p 39. und in Hr. Aff. ZEPERNICKS Samml. Part. IV. p. 69. I. s. SURLAND de symbolo pilei.

- f) L. M. KAHLII Comment. de nat. et ind. inuest. per biretum in ei. opusc. min. p. 277.
- g) LYNCKER de LUETZENWIK de vexillis et eorum in feudis vslu Cap. II.
- b) PUETTMANNUS V. CL. de inuestit. per poculum.
- i) I. C. H. WILH. de STECK de feudis coram folio Caesaris solenniter accipiendis. §. I. in ZEPERNICK V. CL. anal iur. feud. Tom. II. p. 266.
- k) SIGISM. a BIRCKEN in Spec. honoris Austriaco.
- l) MUELLERUS in Annal. Sax. ad 23. Aug. 1566. ADLZREITER in Annal. Boicis Part. III. Tit. VIII. n. 14. IOH. FRIEDR. IOACHIM von der ehemaligen Gewohnheit bey Reichs- Belehnungen die Faben über den Kaiserl. Lehnstuhl herabzuwerfen in Dessen Anmerk Tb. 2. p. 349. seqq. DE STECK l. c. §. 4.
- m) BUDER in Obs. iur. feud. publ. p. 68. de STECK l. c. §. 3. BUDER Bericht der Belehnung Churfürst August zu Sachsen in Hr Zepernicks Samml. Tb. IV. p. 119.
- n) I. I. MASCOV. in iur. feud. p. 18. et 129. BOCRISIUS l. c. o. MONACHVS WEINGARTENSIS de Guelphis Cap. XIII. ANNALES NAZARI ad annum 787. antiquissima exempla exhibent, vbi et principes de feudis iam inuestirent suos vasallos.

§. III.

De ritibus inuestiturae solenniter impetrandae hodiernis.

Quae cum incommoda multis displicuissent imperii vasallis, invaluit dudum investitura feudorum imperii maiorum in Camera, i. e. illa, quae ab imperatore in Palatio celebratur, et a Caroli V. aetate sensim sensimque introducta est. a) Ritus ipsi adumbrant veterem investiendi morem. Insidet nempe imperator folio suo, quod circumstant officiales imperii hereditarii, vel si hi absint, Proceres aulae imperatoria. Investiendi conlaue intrantes et folio Caesaris accedentes, bis genua flectunt, et in ultima ipsius scala pro-

procumbunt. Tum petita inuestitura ascendunt thronum, tactoque Evangeliorum libro fidelitatem, quam ipsis vicarius imperii Cancelarius praelegit, praestant, porrectumque a Mareschallo Imperatori gladium extremo cono osculantur, actisque gratiis eodem, quo ingressi erant, ritu recedunt. b) Eadem ratione et curiae prouinciales minus sollenniorem inuestiendi modum sequuntur. Ita in Ducatu Brunsuico - Guelferbytano vasalli praestito fidelitatis iuramento mediante vexillo exiguo in curia feudali territoriali de beneficiis inuestiuntur. c) In Pomerania pileus obtinet d) ut et in Lusatia. e) Aliis locis inuestitura peragitur *durch die Lehns Binde.* f) Apud nos in Saxonia pallio induti rubro fidelitatem iurato, stipulataque manu promittunt g). In Episcopatu Numburgensi Cancelario nomine domini directi et *dem aeltesten Stifts.* Rathe nomine Capituli stipulata manu fides facienda, nec non etiam litterae reversales exhibendae sunt, de agnoscendo dominio Capituli directo, tempore, quod dicitur, sedisvacantiae.

- a) I. I. BOEHMER de inuest. feudorum imperii in Camera. BVDER in Amoenit. iur. feud. publ Obs. 2. p. 10. seq.
- b) Ritum in extenso exhibit MOSER in der teutischen Lehn Verfassung p. 894. et inde ipsum desumxit PÜTTMANNVS V. Cl. in Elem. iur. feud. p. 385. seqq.
- c) AVG. DE LEYSER de feud. Brunsuico - Luneburg. Cap. II. Sect. II. §. 29.
- d) SAM. STRYCK tr. de feud. Pomeran. Cap. I. Sect. V. §. 15.
- e) ILL. BAVER de personis comm. Sax. manus capacibus §. 38.
- f) SCHANNAT im Lehnbofe Part. II. Cap. II. p. 34. seqq.
- g) Actum inuestiturae Saxonicae vberius descripsit LVNIG in Cod. iur. feud. Tom. III. p. 810. et Cl. PÜTTMANNVS l. c. p. 380. seqq.

§. IV.

Instituti ratio.

Haec de sollempnitatibus in ipso inuestiendi actu, instituti nunc ratio postulat, modum inuestiturae petendae Saxonicum, et quae in ea in primis vasallis imposita sunt officia, paullo accuratius pertractare.

Etare. Non enim ignoro, quod sane in tanta legum feudalium Saxoniarum perspicuitate perquam mirandum est, quam plurimos grauiter hac in re peccasse, et inde feloniae reos euasisse, quod non nisi supina negligentia fieri potuit. Quanquam enim cliens ob feloniam culposam rarissime feudi iacturam patitur, ut id permulta et antiqua a) et nouissima adhuc exempla b) luculentissime docent, quibus nempe, ut vocatur *ein allgemeiner Lehnspardon*, omnibus atque singulis vasallis, qui culpam contraxerunt, ex singulari Serenissimi PATRIS PATRIAE gratia concessus est, immo et in speciali casu denegari haud solet; c) tamen iure meritoque in arbitriam nonnunquam poenam, quae *Lehnsemende audit*, nec non varia incommoda incidit vasallus, d) a quibus liberari omnino potuit. Iam vero, ut ordine procedat nostra de officiis vasalli in petenda impetrandaque uestitura Saxonica disquisitio, ante omnia quibus maxime circumscribitur finibus, nunc erit videndum. Cuncta autem his quatuor partibus contineri videntur, minirum ut I.) quinam facta in manu dominante aut seruiente mutatione, uestitutram petere debeant, dispiciamus: II.) quoniam loco illa necessario peti et peragi oporteat, inquiramus: III.) tempus, quo peti impetrarique debeat, examinemus, denique IV.) quis ille petendae impetrandaque uestiturae legibus nostris praescriptus sit modus, summa, quantum fieri potest, diligentia indagamus. Quae caeterum vero paucissimis hisce plagulis a me pertractari minime poterant, in scriptoribus a me laudatis diligentius explicata periuntur, quos subsidii magis, quam inanis ostentationis gratia apponendos putaui.

- a) RESCR. d. a. 1697. d. a. 1700. c. A. TOM. I. p. 1973. 1977. LANDTAGS-ABSCHIED d. a. 1700. TOM. I. C. A. p. 307. RESOL. 1700. ibid. p. 1169. RESCR. d. a. 1707. p. 1979. EXTR. RESOL. aus der Praet. Schrift d. a. 1737. n. 13. in S. C. A. T. I. p. 62. 1T. d. a. 1742. n. 10. IBID. p. 69.
- b) d. a. 1763. et 1770. in S. C. A. T. I. p. 1036.
- c) RESCR. d. d. 21. Ian. 9. Jul. et 27. Julii 1735. S. C. A. T. I. p. 995. et 996.
- d) MAND. FKV D. d. 30. April 1764. Tit. V. §. 3. S. C. A. T. I. p. 1030.

CAP V T I.

QVANDO ET A QVIBVS NAM PERSONIS INVESTITVRA
SIT PETENDA.

§. I.

Quando investitura petatur.

Postquam inter dominum directum atque vasallum de contractu feudali ineundo constat, consummetur iste contractus investitura, necesse est, quae dicitur *prima*. a) Promissio enim fidei, qua olim Germanis nihil sanctius fuisse legitur, ad feudi essentialia pertinet, quae nullo modo abesse possunt. Praestatur illa in ipso investiture actu atque ita mutuum illud vinculum, quod dominum atque vasallum intercedit, illosque arctissimo nexu inter se copulat atque coniungit, constituitur. Quoties itaque, aut ex parte domini, aut vasalli coniunctio ista dissoluitur, eius renouatione opus est, quia sine illa feudi natura mutatur. b) Contingere autem haec vinculi feudalnis solutio potest, et quidem ex parte domini, aut eius morte naturali, aut ciiali. Ciuiliter enim mortuus iura domini directi tueri amplius nequit, et pro tali ille habetur, qui etiam si summo imperio gaudeat, illud aut victori pleno iure cedere, aut remotus ab imperio successori vices relinquere tenetur. Hinc statutus imperii banno superiore imperiali affecti, vna cum territoriis amittunt quoque iura domini directi, quae in vasallos suos exercent, vt illustre illud exemplum Friderici Palatini ao. 1621. nos docet. Hinc quoque dominium directum, quod Imperatores nomine Imperii R. G. in vasallos Lotharingiae et Germaniae antiquitus exercuerunt, bello cum Gallis finito, in quo isti victores discesserunt, extinctum est. Nec desunt aliae caussae, quibus illud vinculum dissoluitur, quo imprimis alienatio c) dominii directi, nec non cessio pleno iure facta, vt et diuisio pertinet, si scilicet plures domini heredes, haec tenus in communione constituti diuisiōnem inierint, et vni dominium directum feudi tradiderint, qui cum in plurimum succedit locum, et ad caeteros a condominio excludendos, et ad vasallos sibi, tanquam vnico domino, obstringendos, reiteratam fidem

fidem exigere potest. d) Ex parte vasalli autem mutatio accidit, et inde inuestiturae requiritur renouatio, aut eius, aut provasalli morte tam naturali, quam ciuili, immo et qualibet alienatione, qua feudum in alterum transfertur, nec non feloniam, qua feudum amittit, illudque ad agnatum, vel simultanea inuestitum transit. Quae quidem inuestiturae renouandae necessitas moribus legibusque nostris e) ad simultaneam quoque inuestituram prolata est.

- a) I. F. 25. PR. Sciendum est, feudum sine inuestitura nullo modo constitui posse, etiam si domino iubente quis alicuius rei nomine feudi possessionem nanciscatur et teneat: licet tamen possessionem taliter adeptam dum viserit, quasi feudi nomine retinere, herede eius in hoc iure nullo modo ei succedente.
- b) Est enim tam respecta promittentis, quam eius, cui promittitur personalis STRUV. Synt. Iur. feud. Cap. X. §. 1. n. 2.
- c) ROSENTHAL de feudis C. 6. Concl. 64. n. 4.
- d) H. PISTOR. Obs. sing. 186. CARPOV. P. II. Const. 45. Def. 26.
- e) CONSTIT. ELECT. SAX. XLV. P. II. MAND. FEVD. d. d. 30 April 1764. Tit. I. §. 1. verbis: nicht weniger bey solchen sieb ereignenden Veränderungen (scil. in manu dominante et seruiente) von denen Mitbelebten, ob sie schon die Lehnigüter in würcklichen Besitz nicht haben die Mitbelehnshaft zu erneuern, sowohl von des verstorbenen Mitbelebten hinterlassenen Söbnen, weiln nach denen Sächs. Lehnrechten die Lehnfolge allein auf der gesammten Hand steht; und dieselbe ein ieder Mitbelebter vor sich selbst suchen, und also proprio facto erlangen muss, die gesammte Hand an den Lehnigütern, woran ihr Vater selbige gehabt, nach dessen Ableben, behörig zu nutzen, und von ihnen in Anfangserwähnten Fällen zu Erhaltung des erlangten Mitbelehnshaftis - Rechts, ein gleiches zu beobachten. HORN. Iurispr. feud. Cap. XVII. §. 5.

§. II.

De personis qui inuestituram petero debeant.

Quicunque feudum praevio contractu constituit, aut nouum acquirit, inuestitura indiget prima. *Nouum* autem dicitur *feudum*, quod nouiter acquisitum et a primo eius acquisitore adhuc possideretur. a) Hinc feudi emtor, siue ille extraneus sit, siue remotior ex simultanea inuestitis, si tantum a proximiore successore consensu

B 2

do.



domini directi et simultaneae inuestitorum illud emat, nouum acquirit feudum, et prima indiget investitura, licet pecunia, qua illud comparauit, ex feudo antiquo sit redacta, b) transit enim illud in personam inuestitura prima non comprehensam. Eadem quoque necessitas vasallo incumbit, si feudum ob feloniam ita amissum, ut ad dominum redeat, eius vero gratia ipsi restituitur. Isto enim casu ius descendantium plane extinguitur, quod non nisi noua investitura reuiuiscit. c) *Feudum vero antiquum* dicitur, quod per successionem ad heredes primi acquirentis iam delatum, et ab his possidetur. Interim discrimin inter feudum nouum atque antiquum apud nos non tanti momenti est, quam moribus Longobardorum, d) ubi modus succedendi iuraque inde dependentia ex eo diiudicabantur. Ius succedendi enim agnatorum, neque in feudo novo neque veteri apud nos locum habet, sed omnis successio, si legitimi non adsint descendentes, ad simultaneae inuestitos deuoluitur. Usus itaque huius distinctionis in eo potissimum versatur, quod in feudo novo prima, in veteri renouatio inuestiturae existente casu requiritur, ad quam quilibet feudi successor, nullo conditionis aut dignitatis diserimine, petendam tenetur, unde nec mulier, nec pupillus, nec minor, ab ea liberatur, quamvis pupillo atque minori, usque ad maiorescitatem adimpleteam dilatio conceditur. Neque interest unus an plures sint eiusdem feudi possessores, omnes enim, etiamsi indiuisim possideant e) ipsam petere debent. Alia vero ratio est simultaneae inuestitorum apud nos, qui singulis casibus, ubi vel dominus, vel cliens mutatur, ad eam petendam obstrixi sunt f). ob communionem dominii utilis, quod ipsis una cum vasallo principali in beneficium competit g) quam tamen non sequitur Lusatia Superior, ubi agnatis usque ad septimum gradum inuestiturae renouatio, donec beneficii facti sint possessores, remissa est. h)

a) F R. WILH. BAUER V. CL. diff. I. de feudo novo atque veteri §. 6.

b) HOR N. l. c. Cap. III. §. 9.

c) II. F. 31.

d) GK.

- d) GE. THEOPH. BOERNER diss. de feudis antiquis iure novorum, et novis iure antiquorum praeditis Cap. I. p. 2.
- e) II. f. 26. §. 7. omnes filii eius, qui feudum acquisierit, fidelitatem facere debent, maxime si indiuisum habent, quod si feudum ex divisione ad vnum tantum peruerterit, ille tantum faciet fidelitatem.
- f) Vid. §. praecedentem et ibi citata sub nota e.
- g) ILL. BAUER de comm. Sax. manu ob neglect. renouat. amisam §. 21.
- b) ORDINAT. FEUD. EL. SAXON. LUSAT. SUP. d. a. 1652. §. 1.

§. III.

Continuatio eiusdem argumenti.

Si plures in feudo succedunt, omnes iure nostro a) inuestitutae renouationem aut pro indiuiso, aut pro parte tempore definito petere tenentur, quod, ut diximus, et de simultanea inuestitis valet. Quodsi vero vnu ex illis, qui beneficium pro indiviso possident, decebat, et eius portio reliquis accrescat, inuestitura opus non est, quia iam singuli de toto feudo inuestiti sunt: at heredes eius liberi, seu descendentes, quia tanquam noui vasalli considerantur, sine fidelitate domino praestita in feudum non admittuntur, neque illi ex compossestoribus, qui pro parte tantummodo de beneficio inuestiti sunt, propterea, quod obligatio ex iureiurando personalis est atque strictissimae interpretationis. Si feudum autem est femininum, et vasallus filios filiasque successores reliquit, tunc in quoquis mutationis casu opus est renouatione inuestitutae simultaneae ex parte filiarum, ne iure suo cadant, si extincta masculorum prole, feudum successione ad ipsas deuoluitur. Si vero pater vni ex filiis beneficium legauerit, caeteri nihilominus inuestituram sub poena arbitraria petere tenentur, antequam testamento paterno satisfaciant, nisi in litteris inuestiturarum clientelae possessori testandi facultas expressis verbis sit concessa. In diuisiobibus et successionibus hereditariis (*Anfällen*) communis manus semper est reseruanda, et inuestitura existente casu renouanda, ab illis, qui portionem suam aliis cedunt, alias a successione excluduntur.

B 3

Idem



Idem quoque seruandum est, si parentes liberis feudum tradunt. a) Personae morales, vniuersitates, collegia et corpora mystica ad constitutionem prouasalli in feudis ab ipsis acquisitis obligantur, qui quouis mutationis casu contingente suo nomine inuestituram petat, et fidelitatem iurato promittat, necesse est. Cum itaque haec obligatio personalis sit, morte ipsius quoque extinguitur, et prouasalli successor recte inuestiturae renouationem petit. b) Idem quoque obtainere puto, si prouasallus ex qualibet caussa remotus sit, par enim est ratio. c)

a) M A N D . F E V D . d . d . 30 . April 1764 . Tit . I . § . 2 . usque ad 9 . G . L .
M E N C K E N de similt . inuestitura feminina in feud . feminin . ad
successionem necessaria . S T R V V I V S Synt . Jur . feud . Cap . X .
§ . 3 .

b) C I T . M A N D . F E V D . Tit . I . § 12 . et Tit . III . § . 2 . E . W . E N G E L -
B R E C H T de renouatione inuestit . vniuersitatis nomine petenda .

c) I . A . H A N N E S E N in Opusc . p . 401 .
§ . IV .

*De personis iure antiquo a feudi possessione et inuestitura aut in totum
aut sub modo exclusis, moribus vero nostris nonnunquam admisis.*

Antiquitus personae quaedam partim ob inhabilitatem ad praestanda seruitia praecipue militaria, partim ob defectum aliquem animi aut corporis a feudo penitus excludebantur. a) Licet tamen domino in sui praeiudicium etiam personae inidoneae feudum concedere, quod eo magis apud nos inualuit, cum seruitiorum militarium necessitas plane ab vsu recessit, et feuda plerumque onerosa acquiruntur. Hinc non modo femina si clientelam masculinam cum pacto, vt masculi tantum succedant, acquirat, nostris moribus rarius arcetur, b) sed et surdi, muti, coeci, furiosi atque dementes praeuio speciali domini mandato nonnunquam admittuntur, ob superuenientem defectum vero a feudo antea quae sit nemo excluditur. c) Constituitur illis vero sicut pupillis atque minoribus curator aut prouasallus, qui vel eorum loco, vel in animam illorum domino fidelitatem praefstat, et seruitia exhibet, hoc tamen seruato

seruato discrimine, vt quoties prouasallus suo nomine domino si-
dem facit, et mutatio ex eius parte contingit, inuestiturae renoua-
tione opus sit, non autem, si in animam possessoris veri iurauerit,
vt curator pupilli, minoris, atque feminae. d) Eadem ratio quo-
que obtinet in clericis, quibus apud nos in bona feudalia succe-
dendi et per substitutum seruiendi, e) nec non etiam ciuibus Mis-
niae et Thuringiae, quibus priuilegio Ludouici Bauari f) et Ca-
roli IV. g) facultas concessa est, feuda nobilia acquirendi, eoque
producta, vt ad omnes terras et ciuitates, quas Marchiones Mis-
niae et Thuringiae Landgrafii imposterum acquisituri sint, spelet.
Non extenditur vero hoc priuilegium ad Lusatiam Superiorem, in
qua equites de clientelis ao. 1619. pactum inierunt eo tenore, vt
homines noui atque ignobiles ab illorum acquisitione arcerentur,
quod Ioannes Georgius Elector Saxonie ao. 1666. h) reseruata
dispensandi potestate, confirmauit. Attamen ciues hac conuen-
tione non penitus exclusi sunt, sed praferuntur illis tantummo-
do in emtionis contractu nobiles idem pretium offerentes, nec
desunt exempla, quod elapso frustra trimestri spatio, contractus
cum ciue emtore confirmatus et inuestitura munitus sit, exhibitis
tamen litteris reuersalibus de feudo, si alienetur non nisi perso-
nae nobilitatis auctae paeprimis vendendo. i) In Lusatia inferiore
indigenatus obtinet, et non nisi illi, qui huius iuris participes fa-
eti, feuda acquirere possunt. k)

a) I. FEUD. SAX. Cap. II. Pfaffen und Frauen, Bauern und Kaufleute
und alle rechtlose und die uneblig gebobren sind, und alle die nicht von
Ritters Art von Vater und von Eltervater gebobren sind, die sollen Lehn-
recht darben it. I. F. 6. §. 2. II. F. 36. IUS. PROV. SAX. Lib. I.
art 4.

b) ILL. BAUERVVS diss. de comm. Sax. manus capacibus personis
§. II. seqq. E. G. HARTMANN de simultanea inuest. in feud.
Lusat. Sup. §. 15.

c) IUS PROV. SAX. Lib. I. art. 4. Wird ein Kind gebobren stumm,
Sinn- oder Witzlos, oder blind, oder sonst unvollkommenlich an seinem Leibe,
das ist wohl Erbe zu Landrecht, aber nicht zu Lehnrecht, hätte aber ein
Mann Lehn empfangen vor der Seuche und wird darnach siech, er behält es
und vererbet es auch, als ein ander Mann. I. H. de BERGER Vtrum
et



et quousque surdi et muti feudorum sint capaces. L. MENCKEN
in Pr. hac de re Lips. 1703.

- d) G. L. BOEHMER v. c. l. Obs. iur. feud. p. 236. I. C. SCHROETER de curatore feudi F. C. CONRADI de prouassallis. M A N D. FEUD. NOVISS. d. d. 30. April 1764. Tit. I. §. 12. et Tit III. §. 2.
- e) CONST. ELECT. SAX. XXVIII. P. III. HORNIUS l. c. Cap. XV. §. 15.
- f) A LUDEWIG Tom. IX. reliqu. p. 680. sq.
- g) SCHILTER ad Ius feud. All. ad rubr. §. XIX. MENCKEN de iuribus Civ. Misn. et Thur. adquir. feuda equestria. BIENER V. c. l. de ciubus praesertim Sax. feud. equestr. capacibus.
- b) COD. AUG. TOM. III. p. 362. seq.
- i) BIENER V. c. l. de feudis utriusque Lusatiae eorum imprimis acquirendorum et possidendorum iure. Cap. II. §. 4. 5. et 6. et Cap. III. §. 10. ILL. BAUERVS Pr. de iure protimiseos, quo nobiles Lusatiae gaudent in venditione bonorum equestrium cum ignobili celebra- ta. et C I T. DISS. de personis feudi capacibus §. 37 seq.
- k) I. G. P. MOELLERVS de iure indigenatus. APP. I. ad HORN. Iurispr. feud. no. 6. RESCR. d. d. 2. Sept. 1740. in SUP. COD. AUG. Tom. III. p. 400.

§. V.

De personis, qui plane non admittuntur ad feuda.

Sequitur, ut et de illis pauca addamus, qui nostro iure plane arcentur a feudi acquisitione, nec inuestituram tam primam quam simultaneam consequi possunt. Inter hos primum quasi locum occupant banno Saxonico superiori affecti, quippe qui non modo securitate publica, sed et fama atque bonis priuantur, a) ideoque neque clientelam et simultaneam inuestituram acquirere, neque in ipsam succedere possunt, quin potius amittunt beneficia, quae tenent, et communem manum. Idem statuendum puto de illis, qui perpetuo sunt relegati. b) Iustum enim relegatio praebet causam praecipiendi, ut fundos et bona immobilia in territorio ex quo relegantur, alienent, eaque quae per successionem ipsis deferuntur, etiamsi vsu iuris ciuilis hac poena non priuantur c) neque fama laeduntur. d) Excluduntur quoque a feudi possessione haeretici in genere, pro quibus omnes illi reputantur, qui tribus illis

illis in Imperio R. G. receptis religionibus non sunt additi, singulariter apud nos autem vetere ex consuetudine, eaque legibus approbata omnes ii, qui Augustanam Confessionem non sequuntur, ex norma anni decretorii 1624. e) Quid? quod eiusmodi personae apud nos ne simultaneae quidem inuestitutae capaces sunt. f) Tandem cum negotium clientelare singularem fidem atque dexteritatem exigit, merito quoque respuit personas infames ob maculam ipsis adspersam, quae illos a curia domini remouet. g) Immo moris est, si contra vasallum in terris nostris ob aliquod delictum infamans inquisitio pendeat, ut inuestitura de feudo per successionem ad ipsum deuoluto suspendatur, donec sententia lata sit. Quod denique rusticos attinet, illi quamdiu reapse tales sunt, omni iure feuda equestria possidendi et simultaneam inuestitutam consequendi, expertes censentur. h) Interim consecuto iure ciuitatis facile sibi consulere possunt. Summa caeterum de successione legitimatorum in feudo inter DD. ventilatur controuersia. Alii i) ob Const. El. ineditam XIV. ipsos feudi capaces declarant; alii contra II. F. 26. §. 10. Naturales filii, licet postea fiant legitimi ad successionem feudi, nec soli, nec cum aliis admittuntur, inixi, ipsos a beneficiorum acquisitione remouere student, cui sententiae et nos eo lubentius adstipulamus, cum praedicta Constitutio vi legis publicae non gaudeat, ideoque ad infirmandas leges contrarias easque publicas nobis sufficere minime videatur. k)

- a) DECIS. EL. SAX. 77. iuncta CONST. EL. SAX. VI. P. III. qua illis, quorum bona fisco cedunt, testamenti factio interdicitur. HORN. I. c. Cap. V. §. 36. CARPZOV. Prax. Crim: qv. 140. n. 87. et 117.
- b) SCHROETER de iur. aqu. et ign. interd. antiquo et vnu hod. §. 41. et HORNIUS I. c.
- c) L. 4. et 7. §. 3. et L. 14. §. 1. de interdict. et releg.
- d) L. 22. de his, qui notantur infamia.
- e) WABST Hist. Nachricht v. d. Cburf. Saechs. Verfassung p. 77. et HORN. I. c.
- f) MAND. FEUD. d. d. 30. April. 1764. Tit. VII. §. 3. Eben so wenig findet, da nach der Verfassung biesiger Lande einer der nicht der Aug-



Augsburgischen Confession zugewan ist keine Lehn - oder Allodial - Güter in selbigen auf einigerley Art und Weise acquiriren kann, die Praesentation eines solchen Mitbelebnten statt.

- g) *I U S F E U D . S A X . Cap. II. I L L . B A V E R V S d . comm . Sax . man . ob neglect . renouat . amiss . § . 46 . et in Diff . de perf . comm . Sax . manus capacibus § . 19 .*
- b) *R E S C R . d . d . 6 . April 1743 . M A N D . F E U D . d . a . 1764 . cit . Tit . VI . § . 3 .*
- i) *I . F . S C H N E I D E R de success . legitimatorum in feud . I . E . S C H M I D T de success . in feud . filii per subseq . matrim . legitimatorum haud deneganda . et A V C T O R Tract . der Lehnfolge der Mantelkinder — in den Saechf . Landen .*
- k) *O R D . P O L I T . d . a . 1543 . in c . A . T O M . I . p . 19 . E D I C T . d . a . 1550 . I B I D . p . 32 . I L L . B A U E R U S diff . de successione legitimatorum per nuptias exule in feudis . C . F . S C H O R C H T von der Unfaebigkeit der Mantelkinder zur Lehnfolge I . C . H . D R E Y E R in d . Neben St . p . 257 .*

C A P V T II.

D E L O C O I N V E S T I T V R A E .

§. I.

De Curia feudal i supra Dresdeni .

Alterum, quod vasallo investituram petenti incumbit officium, in eo versatur, ut de loco, quo ipsa petatur, sollicitus sit. Non uno enim eodemque loco in terris nostris inuestitura cuiuslibet feudi impetrari potest, sed distinguendum praeprimis inter terras hereditarias Saxonicas veteres, easque, quae peculiari quodam nexu ipsis adhaerent. Quaelibet harum ditionum separatam aut priuilegio, aut pacto sortitur curiam feudalem, in qua non solum ipse follennis investiturae actus tam praediorum Schriftfassicorum, quam Amtsfassicorum peragitur, sed etiam caussae feudales, in quantum hic pertinent, ventilantur: de feudis rusticis enim, quae coram

coram praefecto infeudantur, hoc loco non est sermo. Aliam olim, quam nunc, et in Saxonia obtinuisse inuestiturae rationem e veteribus historiae patriae monumentis clarum manifestumque est. a) Celebrabant enim serenissimi Duces curias feudales et placita sanciebant feudalia, quae autem auspicante Electore Augusto vim suam amiserunt. b) Cum enim ex ao 1486. c) regimini aulico Dresdae sedes fixa sub Alberto Saxoniae Duce obuenerit, illudque ordinationibus d. d. 13. Jul. 1642 et 8. Jun. 1657, aliisque hac de-re emissis Rescriptis d) certam stabilemque receperit formam, sensim sensimque antiquus ille inuestiendi modus obsoleuit et hodiernus inualuit, quem nunc legibus definitum cernimus e) Terrae, quae eius iurisdictioni speciatim sunt subiectae, die alten Erblande nuncupantur, et his septem circulis comprehenduntur, Electorali nempe, Thuringico, Misnensi, Lipsiensi, Metallico, Voigtlandiae, et Neustadiensi. Catalogum omnium feudorum, quae a suprema hac curia feudali infeudantur exhibit WABST f) ex quo apparet, non omnia beneficia singulis iuribus terrisque, quae ad illa pertinent, coram regimine nostro infeudari, sed permultorum officium esse pro parte inuestituram a curia Brandenburgica, Hassiaca, Schwarzburgica etc. suppleri.

a) HORNIVS in Vita Henrici Illustris. I T. in vita Friderici Bellicosi p. 392. et 393.

b) CONSTIT. ELECT. SAX. XXVII, P. 1. verbis: *ordnen und setzen, dass in solchen Fällen (scil. wenn der Lehnsherr seinen Lehnmann sonderlich aber auf die Priuation beschuldigen will) der Process des gemeinen Rechtns, fortan in Unsern Landen angestellet und gehalten werden soll.*

c) WECKIVS in Chron. Dresdensi p. 175.

d) quae legi possunt C. A. Tom. I. p. 1148.

e) WABST. v. d. Verfassung d. Churf. Sachsen's Sect. II. Cap. I. §. 3, p. 60.

f) WABST. I. c. in Append. p. 18. seqq.

§. II.

De curiis feudalibus Wurzenfi, Merseburgensi et Numburgensi.

Praeter hanc curiam feudalem supremam, quam modo descripsimus ad sunt et aliae, quae iurisdictionem clientelarem certo in districtu exercent. Notissimum enim historiae patriae cultoribus est, Ottone Magnum Episcopatus Misnensem, Merseburgensem et Numburgensem religionis inter Slauicas gentes propagandae causa fundasse a), illosque terris feudisque liberalissime dotasse, quae immutata rerum religionisque facie ad seculum rediere, et tum demum variis conuentionibus cum consensu Capitulorum, immo et Capitulis ipsis celebratis ad Serenissimam Saxonum domum delata sunt, et quidem episcopatus Misnensis una cum Wurzeni ao. 1581. intercedente traditione cum consensu Capituli ab Episcopo Joanne IX. Electori Augusto facta. b) Hunc episcopatum Elector Ioannes Georgius I. ao. 1656. in perpetuum terris Saxoniciis adiunxit, ita tamen, ut varia iura Capitulo Misnensi salua integraque manerent, in quorum numero et hoc est, ut separatum forum coram regimine curiae feudali, quae a temporibus episcopi Ioannis de Haugwitz perpetuo Wurzae residebat, c) ciues vasallique huius ditionis nanciscerentur. Indicem feudorum ad hunc episcopatum pertinentium dedit WABST. d) Caeterum subest illa, quoad res politiam concernentes atque iudicarias regimini aulico Dresdensi. e) Episcopatus Martisburgensis iam ao. 1133. per pacta Vdonis I. cum Marchione Conrado Magno de mutua defensione inita, peculiari quodam nexu cum terris nostris gaudebat, qui autem praeprimis ao. 1544. postulatione Serenissimi Ducis Saxoniae Augusti firmatus est. Et quanquam ao. 1548. Michaelis Sidonius Episcopus Catholicae religioni addictus, hunc nexus quodammodo interrupit, tamen ao. 1561. capitulum Alexandrum Augusti Electoris filium denuo postulavit. Ab hoc tempore episcopatus iste semper in serenissima Ducum Saxoniae gente permanxit, ita ut ao. 1653. testamento Ioannis Georgii I. in principem filium Christianum translatus et ab ipso eiusque descendantibus possessus, tum demum 1738. emor-

tua

tua linea Martisburgensi ad domum Electoralem rediit. f) Inter singularia iura, quibus praeeminet iste Episcopatus, et illud merito referendum, quod peculiari curia feudali vtatur, a qua non modo inuestitura beneficiorum huc pertinentium rite petitur, sed et caussae clientelares ibi tractantur, assident ipsi duo Assessores Capitulares. g) Episcopatus Numburgensis mortuo Julio Pflugio Episcopo ao. 1564. postulatione principis Alexandri ad domum Saxoniam peruenit et testamento Electoris Ioannis Georgii I. filio Duci Mauritio adscriptus et ab eius descendantibus usque ad aum. 1725. pleno iure possessus, ad domum Electoralem ao. 1726. rediit. h) Separatam sibi, ut et alii Episcopatus, vindicat curiam feudalem, quae Cizae sedem fixam habet, et in qua hoc singulare obtinet, ut duo assessores huius regiminis e gremio Capituli electi esse debent, qui sub nomine *der Stiftsraethe* veniunt. i) Caeterum curiae istae omnes iuribus legibusque Saxonicas vtuntur, si ab obseruantibus discesseris, quae in una alteraue earum usu seruentur. k)

- a) PAULLVS LANGIVS in Chron. Citicens. verbis: Otto episcopatum in Magdeburg fundauit, et subiecit episcopatus suffraganeos, quos et idem Otto fundauerat quinque, Hauelburgensem, Brandenburgensem, Merseburgensem, Misnensem, qui nunc est exemptus, et nostrum Citicensem.
- b) WABST l. c. p. 134 seqq.
- c) SCHOEITGEN Historie der Stiftsstadt Wurzen Cap. 4. p. 210 seqq.
- d) l. c. in App. p. 153. seqq.
- e) RESCR. ELECT. d. d. 15. April: 1613. ap. CARPZOV. L. III. Resp. 125.
- f) C. G. HEINRICH Sächs. Geschichte II. Th. p. 457. seqq.
- g) WABST l. c. p. 142. seqq.
- b) IDEM l. c. p. 145. seqq. et HEINRICH l. c. p. 466.
- i) LEBEN HERZOG MORITZ WILHELMVS VON SACHSEN ZEITZ p. 62. seqq. et. 67. seqq.
- k) DERER CHUR- UND FÜRSTL. HERRN GEBRÜDER HAUPT RECESS d. a. 1657. Tit. Fürstl. Regierungen in LÜNIGS Reichs Archiv Part. Spec. Cont. II. p. 645. seqq.

§. III.

De curiis feudalibus Lusatiae Superioris et Inferioris et singularibus quibusdam.

Lusatia Serenissimi ac potentissimi Electoris I. Georgii I. auspiciis, pactis die 30. Maii 1635. initis ad gloriosissimam Principum nostrorum domum delatam esse, quis est, qui nesciat.^{a)} Quo iure in uniuersum regitur exponere meum non est; separatis vero gaudet curiis feudalibus, in quibus pro more obseruantiae et secundum speciales leges inuestitura non modo impetratur, sed et caussae clientelares tractantur. Discrimen inter vtramque conspicitur summum, tam ratione regiminis, quam privilegiorum, legum, iuriumque utriusque concessorum, ^{b)} quod tamen hoc loco non curamus. Nostrum igitur est, ut de curiis, quae in utraque vigent, pauca proferamus. Alias vero *superior*, alias *inferior* sibi arrogat. In *superiore* duae praeprimis florent, quarum altera Budissae, altera Goerlitzii sedem fixam habet. ^{c)} In *Inferiore* tantummodo obtinet, quae Lubenae viget, et sub nomine *der Oberamtsregierung* venit. ^{d)} Quaevis harum curiarum intra iurisdictionis suae fines cognitionem caussarum clientelarium sibi vindicat, et inuestituram feudorum legitime peragit, quam antiquissimis temporibus ipse Marchio et in sequenti aetate eius Vicarius exhibebat. ^{e)} Quod ad clientelas praefecturae Treffurth attinet, illae dirigente Electore Moguntino conceduntur, ita tamen, ut Serenissimi Principes nostri, nec non Landgrafi Hassiae simul, tanquam domini directi compossores concurrant. ^{f)} Taceam singularia priuatorum iudicia feudalia, in quibus illud Illustriss. S. R. I. Comitum et Dynastarum a Werthern, quod Beichlingiae floret, et per Seniorem familiae *einen Lehns Director, und einen Lehns Secretarium* exercetur, ^{g)} pariter ac id, cui a generosissima Pflugiorum gente per Seniorem familiae atque syndicum hanc in rem specialiter constitutum prospicitur ^{h)}, sunt enim in numero priuatorum.

^{a)} NEVM. A RYCHOLTZ de iurisd. et Superiorit. territ. ap. IENICHEN in Thes. iur. feud. Tom. III. c. X. p. 608: GLAUF-FEY Hist. Sax. in App. No. VIII. GROSSERS Lausitzische Merkwürdigkeiten.

^{b)} quae

b) quae legi possunt c. A. TOM. III. p. 348 - 372. et 432. et s. C. A. p. III. p. 400. - 411.

c) CONFIRM. LEHNSORD. IOH. GEORGE I. in C. A. TOM. III. p. 353. verbis: Dieweil aber die Land Stände sich auf eine wiedrige Obseruanz und beständige Gewohnheit referiren: Ueberdiess auch beyder Aemter Lehn Registraturen (i. e. Bauzen und Görlitz) so viel kundbar gemacht etc. WABST. l. c. p. 271. seqq.

d) quae quidem instaurata est ao. 1666. Principe Sax. et Administratore Episcopatus Merseburgensis Christiano I. auspicante

e) GENERAL CONFIRM. ALLER PRIVILEGIEN d. a. 1538. FERDINAND I. in C. A. TOM. III. p. 433. verbis: dass ein ieder Landvoigt daselbst in Nieder Lausitz von einem zum andern so immer seyn werden, allen und ieglichen Einwohnern, wes Wesens, die Unser Königl. Maiestät verwandt und belebt, auch denen Erben auch nachkommenden Brüder und Brüder-Kinder, dergleichen welche des redlich erworben, und sonst eines Stammes, Geschlechts, Schildes und Helms von Geblüth wären, ihre Leben und gesamte Hand alda im Lande zu Nieder Lausitz iederzeit wenn es die Noth erfordert und gesucht wird, vollmächtlich zu tun und pflegen sollen. etc. Et REDERVUS LVS. DIPL. TOM. l. p. 150. Zum Siebenden, betreffende die Lehn und auch Verleibung und Vergünstigung derselben auch die Vollziehung der Brieff darüber und wenn solche Lehn gürber verkauft und in kraft unsers derselben ausgegangenen Privilegien verändert worden, so sollen solche Lehen in unserm, als König zu Böheim und Marggrafen in Ober - Lausitz Nahmen, durch unsern Landvoigt in Gegenwart und Beyseyn des Hauptmanns geschehen und aufgericht und darüber zwey Register gehalten, darin sollen alle Lehn Gunste und Verleibungen unterschiedlich beschrieben, das eine durch ibnen unsern Land Voigt mit seiner Handschrift verzeichnen unserm Hauptmann zugestellt, das andre aber durch ibnen unsern Hauptmann gleichfalls mit seiner Handschrift unterschrieben unsern Land Voigt überreicht werden.

f) WABST l. c. App. p. 26.

g) Catalogum feudorum Comitum Illustriss. a Werthern exhibit Wabst l. c. p. 33. et D. BERNH. FRID. RED. LAVHN in d. Nachricht von den bey der Herrschaft Beichlingen befindlichen Afterlehnleuten in Hr. Ass. ZEPERNICKS Samml. Z. L. R. Tb. IV. p. 249. seqq. ALBINI Historie der Grafen und Herrn von Werthern.

h) SIEGEL in Tract. de litteris inuestiturarum p. 33.

§. IV.


 §. IV.

Vsus huius doctrinae.

Quam de loco inuestiturae paullo vberius tractauimus ma-
teriam, hunc praeprimis usum praestat, vt de curia, ad quam
feudum pertineat, eo magis solliciti simus, quod quam maxime
in illis clientelis perquam necessarium est, quae ad diuersos domi-
nos spectant, ne omissione petendae impetrandaque inuestiturae
feloniam nobis contrahamus et de feudo amittendo periclitemur.
Graues enim hac de re moueri solent lites, et nobis perniciose.
Deinde autem cum leges consuetudinesque in quavis curia variant,
quae in quovis casu nobis obseruanda veniunt officia, eo diligen-
tius scrutemur. Differt enim, vt pauca tantum instar exempli in
medium proferam, modus actusque inuestiendi curiae feudalis su-
premae a) ab illo qui in Lusatia per pileum obtinet, b) aut in cu-
ria Citicensi obseruatur: differt et ius praefentandi simultanee in-
uestitos, nec non modus per procuratorem inuestituram impe-
trandi, c) aliaque plura, quae passim iam monuimus et fusius hoc
loco pertractandi instituti ratio non patitur. Taceo reliqua, quae
praeter leges in quavis curia usu introducta sunt, et non nisi longa
consuetudine ab illis, qui causas in foro perorant, edisci possunt,
cum nondum facta sint publici iuris, nec testimoniis confirmari
possint, quae non nisi Collegii auctoritate a Cancellariis exhi-
bentur.

a) LÜNIG C. I. F. Tom. III. p. 810.

b) ILL. BAVERVS diff. de personis comm. Sax. manus capacibus §. 38.

c) RESCR. d. d. 5. Julii 1741. in s. c. A. p. I. p. 1010. de vasallis
Lusatiae Superioris cf. RESCR. d. a. 1695. in d. Collection derer den
Statut des Marggräfth. Ober - Lausitz betreffenden Sachen Tom. I. Sect.
III. p. 1063. WABST. I. c. p. 46. et 74. MAND. FEVD. SAX. d.
d. 30. April 1764. Tit. III. §. 1.

 CAP. III.

C A P V T III.

D E

TEMPORE INVESTITVRAE PETENDAE.

§. I.

De tempore petendae inuestiturae primae eiusque renouatione.

Si de officiis vasalli inuestituram petentis ratione temporis loquimur, ante omnia distinguendum mihi esse videtur, inter inuestituram, quae contractum feudalem subsequitur, et illam, quae a cliente vel in feudo nouiter acquisito, vel etiam in antiquo renovationis caufsa, nec non quae a simultanea inuestitis et expectatiuatis petitur. Quod ad illam attinet, qua contractus feudal is munitur, et quae κατ' ἔξοχην prima vocatur, nihil de tempore ipsam petendi, tam legibus Longobardorum, quam nostris sancitum legitur, vnde ab arbitrio domini directi atque vasalli pendet, quando petatur, nec fidelis dominum contempsisse, aut fidem obsequiumque ipsi debitum omisssisse videtur, si inuestituram non petierit. Licet vero domino peragendae inuestiturae praefigere terminum, et emanente vasallo citationem repetere, quodsi autem tribus vici bus citatus non comparuerit, iure suo cadit. a) Non sufficit itaque negligentia ad priuationem iuris, vt in quavis inuestiturae renouatione, sed contumacia requiritur. Errat itaque HORNIVS b) cum haec, quae diximus, de feudo nouo in genere praedicat, quod non nisi de eo tantummodo obtinet, quod nouiter est constitutum, praevio contractu feudali c) Tempus autem vnius anni, sex hebdomadum, triumque dierum petendae inuestiturae legibus d) praescriptum tam in eius renouatione quam in feudo iam constituto, sed nouiter acquisito obseruandum venit, nec non etiam simultanea inuestitis a momento presentationis, aut factae mutationis in manu dominante vel seruiente denique etiam expectatiuato e) feudo sibi aperto currit. Neque tamen sufficit, vt vasillus intra annum et diem litteris inuestituram petat, sed et opus est, vt intra hunc terminum se in persona ad praestandam fidelitatem et homagium sistat, vel procuratorem speciali mandato ad hunc

D

actum

aetum instruatum mittat.ⁱ⁾ Eadem ratione simultanea investitio intra annum a tempore factae presentationis computandum inuestituram impetrare tenentur, ^{f)} Currit vero hoc fatale ^{g)} a die mortis vasalli, ita tamen, ut ipsa mortis dies non computetur, ratione absentium vero a die scientiae, modo absentia sit iusta; in impuberibus et minoribus praeuia indultus petitione a tempore adimpleteae maiorenitatis, in contractibus emtionis venditionis, retractus, a die confirmationis, in concessionibus fendorum eorumque expectantiis a die aperturae eiusque notitiae. Id si quis negligit, feloniam committit, nec ipsi litterae supplices prosunt, quibus inuestituram petiit, dies namque ex obseruantia curiae feudalis ad actum ipsum celebrandum et fidelitatem praestandam non praefigitur, sed tenetur beneficiarius ut aut in persona, aut per procuratorem intra terminum se sistat. Quae autem de remissione feloniae, quam curia feudalis suprema tum concedere potest, si negligentia petendae inuestiturae spatum decem septimanarum ultra terminum non egreditur, WABST ^{h)} protulit, non nisi cum summa cautione capienda sunt, praesertim cum huic rei contrarium ex *Rescr. d. d. 23. Aug. 1700.* sequi videatur, quo ad interrogationem curiae feudalis, num inuestitura per quosdam tantummodo dies retardata, adhuc concedenda sit, Serenissimus Legislator affirmatue, adductis simul causis, quae gratiae locum dederunt, respondit. ⁱ⁾

^{a)} I. F. 24. Est et alia ingratitudo notanda, si dominus inuestituram pollicendo vasalli fidelitatem petierit, et illo non praestante dominus tribus vicibus non conuenienti tempore, interposito forte septem dierum spatio ad curiam suam super hoc reclamauerit, et vasallus tribus vicibus citatus a suis paribus jurare noluerit; si tamen beneficium tale sit, ut pro eo iusiurandum fidelitatis fieri debeat.

^{b)} in Iurispr. Feud. Cap. XII. §. 19.

^{c)} BAUERUS v. Cl. cit. diss. de fendo novo atque veteri.

^{d)} CONST. ELECT. SAX. XLV. P. II. Mand. feud. cit. d. d. 30. April 1764. Tit.

^{e)} IUS FEUD. SAX. Cap. VII. verbis: *Ab der man versmat daz len daz deme Herren ledic wird und ers ym nicht zu ym zybet binnen labre und Tag von dem sy der Herre ledic vormer ber thu dannē syn unschule darzu daz erz nicht en weiste glaz es seine berren. Ledic waere.*

^{f)} ex

- f) ex M A N D. F E U D. d. 12. Nov. 1691. verbis: Finis etc.
 g) M A N D. F E U D. d. d. 30. April 1764. Tit. I. §. 15.
 h) l. c. p. 78. §. VIII.
 i) in C O D. A U G. Tom I. p. 1977.

§. II.

De impedimentis, quae inuestituram remorari possunt.

Attamen tum a domini directi, tum a vasalli parte diuersa adesse possunt impedimenta, quominus inuestiturae actus intra annum peragi queat. Iusta et necessaria enim ab sentia, imprimis ea, quae reipublicae causa fit, legitimam excusationem protractae inuestiturae merito praebet. a) Illis vero absentibus, qui nullam sui notitiam reliquerunt, si in feuda succedunt, vel simultanea inuestitura gaudent, curator feudalis constituitur, qui eorum loco ac nomine negotia clientelaria quaecunque peragit et inuestituram petit. b) Eadem quoque de impuberibus minoribusque sunt sancita. c) Praeterea mors quoque vasalli intra tempus inuestiturae praefinitum contingens, remorari ipsam impune potest. Successor enim feudalis gaudet beneficio noui termini, quia antecessor eius neque dolo, neque culpa renouationem inuestiturae neglexerat, sed morte praeuentus ab ea exclusus est. d) Cessat itaque etiam poena in neglectam inuestitram statuta. e) Ignorantia vero, quae excusationem meretur, inuincibilis atque iusta esse debet, f) alias iuramentum purgatorium iniungi decernique potest. g) Omittam alia impedimenta aequa legitima, in quorum numero morbus, vis belli aliaque plura esse possunt quae rite allegata atque probata iustam excusandi causam praebent. h) Consilii tamen est, ut cliens, si impediatur, quominus ad inuestitram se sistere possit, prorogationem (*Lehns Indult*) petat, quae haud facile solet denegari. i) Ab his vero, quae recensuimus impedimentis differunt ea, quapropter cliens ad inuestitram admitti nequit. Quodsi enim ob delictum aliquod in inquisitione versetur, et ad articulos, quos vocant, inquisitionales iam responderit, aut bonis cesserit, aut de iis concursus creditorum exortus sit, inuestitura ex legum dispositione k) differtur, donec impedimenta ista

D 2

sint



sint remota. Interim in quo quis mutationis easu scriptis illam petere tenetur, ipsique registratura, quae dicitur, vigilantiae, a curia feudali exhibetur, qua diligentiam suam, quando opus sit, probare possit. Pariter quoque inuestitura feudi litigiosi differtur; hoc tamen discrimine, ut lis imminens sed nondum mota, vasallo non noceat. l)

- a) ROSENTHAL de feudis C. 6. concl. 50. MAND. FEVD. d. d. 30. April 1764. Tit. I. §. 15.
- b) ORDIN. TVTEL. SAX. NOVISS. Cap. XXV. §. 6.
- c) ORD. CIT. Cap. XXI. §. 2. et cit. MAND. FEVD. Tit. II. §. 2.
- d) ROSENTHAL l. c. concl. 45. et Mand. feud. l. Tit. I. §. 9.
- e) ILL. BAVERVS de comtn. Sax. manu ob neglect. renouat. amissam.
- f) IL. F. 92. verbis: *sed iusto errore omnino condemnari non potest.*
- g) GAILLVS Consiliis feud. Obs. 48. n. 15.
- h) STRVIVS Synt. Iur. feud. Cap. X. §. 9. n. 5.
- i) DE LVDEWIG de prorogatione inuestiturae.
- k) Cit. MAND. FEVD. Tit. I. §. 11.
- l) PÜTTMANNVS. v. Cl. A. duers. Lib. II. cap. X.

§. III.

De inuestiturae impedimentis ex parte domini.

Variae quoque ex parte domini directi a DD. in medium proferuntur caussae inuestituram impedites, quarum permultae immutato rerum ac reipublicae statu nostra aetate contingere vix possunt a) Neque enim temporibus dissipationum viuimus, quo iniuriae vasalli cum domino directo capitales inuestituram remorari possunt, praesertim cum nostro aeuo omnes vasalli apud nos simul subditi sint, in subditum vero ira domini locum inuenire aliter non potest, quam si indignius quid commiserit, et tunc non pro arbitrio, sed secundum leges plebitur. Ita et absentia domini longinquior inuestituram raro protrahit, cum principes nostri non diu abesse e republica solent, sed negotiorum gravitate, quibus iam ipsi praesunt, retenti, sui copiam faciunt, et quae sunt huius ponderis alia. Mors vero domini intra tempus praefinitum contingens retardare inuestituram omnino potest, b) quia a principe successore, tanquam a nouo domino est petenda, adeoque

— — —

adeoque terminus praefixus vasallo de nouo currit. c) Non vero opus est, vt respectu domini demortui ipsa renouetur, quia de fide agitur, quae personalis est; et extincta persona, cui facienda erat, vires amittit. Ita quoque excusandus est vasallus, qui de feudo inter plures dominos litigioso, a neutro vero possesso inuestituram petere prorogat d) quia ex sola possessione dominium diiudicatur, et soli domino fides obsequiumque est praestandum. Quid autem si dominus ipse de territorio, in quo feudum, cuius inuestitura petitur, situm, nondum est inuestitus, num is iura in alios transferendi facultatem habeat? Habet omnino. e) Quanquam enim ex regula nemo ius, cuius ipse nondum particeps factus est, in alterum transferre possit, ideoque et vasallus nondum inuestitus alios inuestire prohibeatur: tamen id in illis, qui vi primae inuestiturae succedunt, aliter se habet, maxime in principibus statibusque imperii immediatis, quibus non modo ante impetratam ab Imperatore inuestituram, plena territorii administratio, ususque regalium eminentiorum, quae sub nomine *superioritatis territorialis* veniunt, nuda successione conceditur, verum etiam locus atque votum in Comitiis. Caeterum haec quaestio non adeo magni est momenti, cum casus ille vix possit contingere; inuestitura namque imperii intra annum et diem, i.e. mensem petitur, Saxonicae autem annus, sex hebdomades et tres dies praefixi, hinc illa semper antecedere si quod dubium exoritur, potest. Accedunt praeterea his argumentis potentia principum eorumque sublimia iura, quibus confidere vasallus tuto potest. Eiusdem fere generis et illa est quaestio, an feudi inuestitura a domino pupillo vel minori recte concedi possit? Constituuntur namque semper tutores legitimi, qui et administrationem rerum tenent, et nomine pupilli vel minoris inuestituram ab imperatore petunt, hinc multo magis etiam feuda territorii potentibus concedere valent. Multi vero e iure communi vim istam pupillo domino tribuunt, quod plane nullius usus est, cum ex moribus nostris tutor non pupillus, ipsam concedit, nam qui maiora rite peragit, et minora legitime expedire potest. f)

- a) STRUVIVS Synt. Iur. Feud. Cap. X. §. 9.
 b) II. F. 40.
 c) ROSENTHAL C. 6. concl. 45. n. 2.
 d) IDEM l. c. concl. 52.
 e) BVDER Amoenit. iur. publ. feud. n. 6.
 f) HENR. COCCEII de tutela illustrium. MOSERS Staats.-Recht Tom.
 XVIII. c. 95. §. 6. p. 367. VON DER LEHNSVERNEVERUNG
 BEY MINDERIAEHRIGEN LEHNS-HERREN in d. Hr. Aff. ZE.
 PERNICK SAMML. z. L. R. Th. III. p. 63. vbi contrarium aller-
 tionis nostrae docetur.
-

CAPVT IV.
 DE
 INVESTITVRAM PETENDI MODO.

§. I.

De officio vasalli circa eam.

Vltimum denique vasalli inuestituram petentis officium versatur in eo, vt modum, qui inuestiturae impetranda a legibus praescriptus est, summa, qua fieri potest, diligentia seruet. Is vero vi MAND. FEVD. SAX. de ao. 1657. his innititur argumentis: 1) vt vasallus scriptis inuestituram petat, neque interest sollenniora sint, nec ne, (*eine förmliche Supplication, oder ein offenes von ihm unterschriebenes Memorial*) modo in illis bona feudalia et *Lehnsbaarschafften*, quorum inuestituram implorauit, accurate enumeret, eaque secundum peculiarem attemperet stilum in curia feudali usitatum, 2) vt hanc specificationem breuibus testatis (*Lehn- oder Muthzettel*) i. e. instrumentis super inuestitura coram testibus i. e. paribus curiae factis, eorumque subscriptione munitis vel litteris clientelaribus ipsis confirmet. Usus vero breuis testati moribus nostris locum vix inuenire potest, cum omnes vasalli litteris inuestiturarum sollennibus gaudeant. 3) vt non antiquissimas tantum litteras, etiam si his caeteroquin maxima probationis in caussis

—

caussis feudalibus controversis vis atque auctoritas merito tribuenda sit, sed praeprimis nouissimas in originali producat, ad mutationis caussam, si quae fuerit, eo melius dignoscendam. 4) vt si litterae istae clientelares casu quodam perierint, copias earum e Cancellaria vidimatas roget, easque supplicibus adiungat. 5) denique requiritur, vt mutationes in feudo sive alienatione, sive permutatione, transactione, aut alio quocunque modo nouiter factae, et consensu domini directi atque simultanee inuestitorum confirmatae inserantur, nec non ordo atque nomina coinuestitorum, quibus etiam cognomina et praenomina seruato gentis atque stirpis discrimine adiungenda sunt. 6) vt annus, mensis, dies, quo quisque decesserit, diligenter indicetur, vel si quae alia caussa, cur unus alterque spe successionis futurae priuetur, adsit, haec rite docetur. 7) si autem copia litterarum clientelarium fieri nequit, vt tandem dinumeramentum in forma probante coram Notario et testibus confici, illudque domino directo ad confirmandum proponi curet. 8. vltimum autem omnium est, vt nouiter inuestitus fidelitatem vasalliticam et subiectitiam aut in persona, aut per procuratorem speciali mandato ad hunc actum instructum apud nos praestet. Quae etsi omnia vberiorem atque diligentiores mereantur tractationem; tamen ne academic libelli limites transgrediamur, principalibus tantummodo capitibus inhaerendum constituimus.

§. II.

De litteris inuestiturae.

De litterarum clientelarium origine nihil certi constat, antiquissimis enim temporibus vasalli coram paribus curiae inuestiebantur de feudis, qui simul et testes erant, a) si lis fortasse de feudo vel caussa feudalium inter dominum directum atque fidelem vel priuatos moueretur, pro more illorum temporum, quibus vis atque auctoritas documentorum nondum obtinuit, immo ne documenta quidem publica in grauissimi momenti negotiis adhibebantur, sed omnia aut per testes, aut iure iurando adhibitis consacramentalibus, aut denique ordaliis vel pugna decidebantur. b) Varias

rias interim de ipsarum origine DD. coniecturas tradunt. Alii enim c) ad Conradi Salici tempora illas referunt, alii Friderici Barbarossae auspiciis ipsas innotuisse contendunt, d) alii denique memoriam illarum Henrici IV. aetate antiquorem esse opinantur. e) Mittamus vero istas dissidias et indagemus potius ex quo tempore ipsae in Saxonia nostra curiae feudali offerenda, eamque vim auctoritatemque receperint, qua nunc gaudent. Nulla ante annum 1622. in legibus patriis de ipsis exstat dispositio, f) hoc vero Serenissimus Legislator Saxonie Ioannes Georgius II. sanciebat, ut omnes atque singuli, qui inuestituram peterent, litteras inuestiturae novissimas in originali producerent pro obseruantia curiae feudalis, illisque fidem de successione in feudum ipsi facerent. Caeterum facile patet ante constitutam stabilitamque superioritatem territorialem, ordinataque iudicia principum feudalia, sublatamque consuetudinem coram paribus vasallos inuestiendi hunc probandi modum incrementa vix coepisse. Quare et haec iniunctio multis legibus repetita, g) eoque ampliata est, ut copiae litterarum clientelarium pro antiquo curiae feudalis more, vna cum nouissimis litteris in originali exhiberentur. h)

- a) MASCOV. diss. de paribus curiae.
- b) IOH. LEONH. HAVSCHILD. *Gerichts-Verfassung der Teutschen vom 8ten bis 14ten Seculo.*
- c) IO. A. KINDIVS in Pr. de origine litterarum clientelarium Lips. 1770. et in Zepernik V. Cl. Analect. Iur. Feud. Tom. II. p. 43.
- d) BVDER in Amoent. iur. feud. p. 135.
- e) SIEGEL in tr. de litteris inuestiturarum §. I.
- f) in COD. AVG. Tom. I. p. 1959.
- g) MAND. FEVD. d. a. 1638 et 1681. in COD. AVG. Tom. I. p. 1961. 1967.
- h) MAND. FEVD. d. a. 1657. 1681. 1691. in COD. AVG. TOM. I. p. 1963. 1967. 1969. et MAND. FEVD. d. d. 30. April 1764.

§. III.

§. III.

De natura et indole litterarum inuestiturae.

Litterae inuestiturae sunt instrumentum, testimonium inuestiturae peractae, rerum feudalium indicem, conuentionem inter dominum directum atque vasallum de feudi indole atque natura initam, nec non nomina simultanee inuestitorum, ordinemque succedendi ipsis praefinitum, si Saxoniam species, continens, domini subscriptione et sigillo munitum, vel breuius, est scriptura super conventione feudali et inuestitura confecta. Exhibitur clienti a domino probationis caussa, si quaedam lis de vno alteroue obiecto feudali oriatur. Prospiciat hinc sibi vasallus, dum feudum constituit, et cum domino contrahit, ne omissa vna alteraue re, quae in dubium vocari possit, periculum incurrat. Exprimi autem in illis solent, nomina Vasallorum, clausula heredum, res feudales aerumque pertinentiae, nomina rusticorum vasallo ad operas et censem praestandas obligatorum, iura ad feudum spectantia eorumque ambitus et qualitas, feudi natura, onera feudo cohaerentia, nomina simultanee inuestitorum, ordo succedendi ab illis seruandus, nec non nomina eorum, qui actui inuestiturae interfuerere, addito loco, anno, mense et die dominique subscriptione. Studeat moneatque igitur vasallus, ut haec omnia verbis quantum fieri potest clarissimis exprimantur, id enim ipsis a legibus concessum est. Alia autem, quae circa essentialia versantur monita, non nisi in prima feudi constituentis inuestitura vel ex postfacto non aliter, quam praeuia caussae cognitione audiuntur, ad quam plerumque a principe Commissarius delegari solet, qui in rem sedulo et diligenter inquirat. Excipiuntur tamen ea monita, quae vasallus de referendis illis in litteras clientelares rebus curiae feudali proponit, quae nouiter quidem acquisita sunt, sed iam antea naturam feudalem induerunt, quod omnino licet, ut et delere ea, quae consensu domini directi alienata sunt. a) Caeterum cum primae semper fundamentum sunt nouiorum, caueat vasallus, ut si quae immutatio in nouioribus facta, rescriptum, quod mutationis caussam continet, ipsis probationis caussa adiungatur.

a) MAND. FEVD. d. d. 30. April 1764. Tit. IV. §. 2.

E

§. IV.



§. IV.

De iure praesentandi simultanee inuestitos.

Simultanee inuestitos illos dico, qui viuo ac superstite vasallos in fidem clientelarem recepti sunt, quibusque per inuestituram ius in feudum tribuit ita, ut in illud existente casu succedant. Variæ eius originis a DD. traduntur causæ. Alii a) enim ab inuestitura euentuali illam repetunt, alii ex incerta et minus stabili inuestiturae euentualis forma ipsam deducunt, b) alii ipsam ideo introductam esse ferunt, ut difficilis ortus a primo acquirente probatio euitaretur, c) alii denique d) non uno eodemque tempore ac modo illam enatam esse statuunt, sed sensim demum et per varios gradus præsentem accepisse formam, et quidem ita, ut prima eius initia in iure hereditario admodum limitato ponant, quo pater feudum suum in vnum tantummodo filium transmittere potuit, quod quia nimis durum videbatur, admittebantur in sequenti tempore et caeteri fratres ad aequales in beneficio portiones percipendas, cum autem et hoc non nisi maximis cum difficultatibus fieri potuit, accidit forte, ut quadam pecuniae summa contenti simultaneam inuestituram potius eligerent, quae successu temporis magis magisque vsu inualuit, et in tres præprimis abiit species. e) Debent hoc simultanee inuestitos offerendi beneficium vasalli Saxonici Electori D. Ioanni Georgio IV. qui simul exercendo huic iuri annum præfixerat, f) breui vero post Rex indulgentissimus in quadriennium illud commutauit, et denique anno seculi nostri primo in Sexennium protraxit. g) Tenetur vero præsentatus ad simultaneam inuestituram accipiendam, quam si neglexerit, amittit quidem ius suum, clienti tamen licet in eius locum alium substituere, ad quam ei rem spatium anni concessum. h) Caeterum hoc iure non modo feudum nouum acquirentes, sed ex benignissima *Principis nostri clementissimi ac potentissimi Friederici Augusti* mente eorum quoque heredes descendentes fruuntur, si antecessor illorum, ante simultaneæ inuestitorum oblationem mortuus est. i)

a) 10.

- a) IOH. GODOFR. KRAVSE de iure atque effectibus simult. inuestit. in feudo mere hereditario. §. 7. GE. LVD. BOEHMER de indole et natura expectat. et inuest. feud. etc. Cap. II. §. 60. sq. HENR. AND. KOCH de expect. et inuest. feudalii Cap. III. §. 8. sq.*
- b) ILL. BAVERVS de origine et progr. comm. Sax. manus §. 45. sq.*
- c) W. A. SCHOEPFIVS de probat. descendantiae a primo acquirente fendi.*
- d) ANDR. STEGERI Pr. de genuina introductae simult. inuestit. cauſſa in ZEPERNICK v. cl. analētis Iur. feud. Tom. II. p. 45.*
- e) ILL. BAVERVS l. c. §. 47. sq.*
- f) MAND. FEVD. d. d. 12. Sept. 1691.*
- g) MAND. FEVD. d. d. 4. Mart. 1698. et 8. Febr. 1770.*
- h) MAND. FEVD. cit. d. a. 1691. verbis: *Iedoch dem Vasall und Besitzer intra annum an des aussenbleibenden Stelle einen andern Mitbelebten anzunehmen verſtattet werde.**
- i) MAND. FEVD. d. d. 30. April. 1764. Tit. VII. §. 1. FÜTTMANNVS V. Cl. Pr. de iure heredum vasalli offerendi simultaneo inuestitos. Lips. 1780. ibique allegatum RESCR. SPEC. d. d. 21. Oct. 1777.*

§. V.

Continuatio eiusdem argumenti.

Cauſſa cur de simultaneo inuestitis vasalli Saxonici tam solliciti esse solent haec est, ne feudum extintis descendantibus ad dominum directum redeat. Apud nos enim hereditas feudalis neque ad ascendentes neque ad collaterales deuoluitur, nisi simultanea inuestitura gaudent, cui hoc ius tributum est. Attamen quanquam lege determinatum non est, quod cliens domino personas ad simultaneam inuestituram accipiendam praesentare queat: hoc beneficio tamen ita ut eum decet, ne inde spes consolidationis plane perimitur domino. Quodsi igitur vasallus hac in re legitimum modum non seruauerit, licet domino clementiae suae praescribere fines et iusto plures excludere. An vero duorum numerum excedere possit, sane dubito. Caeterum si plures offert, eo nihil aliud egisse videtur, quam ut omnes simul et aequaliter succedant, offerri tamen per gradus et ita possunt, ut quis primo loco Paullum, secundo Laelium, tertio denique Maevium successorem sibi roget, et hac ratione ordinem successionis inter plures definiat. a) Competunt haec



haec simultanee inuestitos offerendi iura quibuscunque feudis, tam maioribus, quam minoribus, immo et rusticis, neque interest, sint masculina, an feminina. b) Nomina illorum in litteris clientelaribus exprimuntur, si itaque post acceptam primam inuestitoram recipiantur, futuris demum litteris inseruntur, clienti vero testimonium (*Canzeley Schein*) probationis caussa exhibetur. c) Denique hoc ius non nisi in feudo nouo, et quod pro tali habetur d) exerceri potest, in renouatione vero inuestiturae et litterarum clientelarium nomina illorum, qui ea gaudent, a vasallo principali traduntur.

- a) MAND. FEVD. d. d. 30. April 1764. Tit. VII. §. 4.
- b) MENCKEN de iure offerendi simult. inuestit. §. 15.
- c) RESCR. d. a. 1743. in S. C. A. Tom. I. p. 5013.
- d) BAVERVS V. ILL. de feudo novo atque veteri.

Epilogus.

Sed iam hic subsistendum, quamuis materiae vbertas vltiori rem postulet expositionem, omnes autem eos, qui plura scire cupiunt, ad scripta in hac dissertatione a me laudata referto, et ita pro more institutoque maiorum hancce disquisitionem *Celeberrimorum atque Doctissimorum Virorum* iudicio summa animi pietate submitto.

Coll. diss. A. 289, misc. 14

